DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

Auctore And: Kinnis

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ANDREAS KINNIS,

SCOTUS,

CHIRURGUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

Non recito cuiquam, nisi amicis, idque coactus.

HORAT.

IV. Nonæ Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXIX.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO EXIMIO,

JACOBO STENHOUSE JUNIORI, M. D.

ARTIS APOLLINEÆ

CULTORI FELICI,

PRÆCEPTORI SUO SPECTATISSIMO,

CUM OB CONSILIA ET PRÆCEPTA,

TUM OB AMICITIAM

QUA EUM DIGNATUS EST,

SEMPER COLENDO,

HOC OPUSCULUM,

ANIMI GRATI TESTIMONIUM,

SACRUM VOLUIT

AUCTOR.

FRATRI SUO DILECTISSIMO,

JOANNI KINNIS, M. D.

HOC,

QUALECUNQUE SIT,

TENTAMEN,

AMICITIÆ FRATERNIQUE AMORIS

MONUMENTUM,

CONSECRAT

AUCTOR.

Misera hæc tabes, sæva, atrox, et insensibilis, teneros et amabiles depascens, cæde et luctu patriam implet.

GREGORY.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI PULMONALI.

Auctore ANDREA KINNIS.

SI aliquis sit morbus, qui, propter frequentiam finemque ejus fere semper lethalem, præ aliis summum medici studium sibi vindicat, talis procul dubio est iste, de quo, in paginis sequentibus, sum disserturus. Tam sæpe enim occurrit, ut, Europæ incolarum partem circiter quartam immatura tollit morte ; atque eventus ejus adeo est infaustus, ut medicum, quo minus sanationem suscipiat, sæpe prohibet.

Res est alia lugubris, propter quam ad Phthisin Pulmonalem operam dare magis convenit, quod tam longe abest quin cursui ejus obstetur, ut indies magis pervadere latiusque sævire videtur morbus. Aucta frequentia hæc, causis diversis, nempe, opificiorum augmento, vestitui tenui mulieribus nunc solito, me autem judice, imprimis huic rei, tribuenda est, nimirum, quod frequentissima morbi forma ex labe hæreditaria pendens, prosapiam, quam semel affecerat, nunquam relinquit immunem; dum causæ, quæ primum excitârunt morbum, adhuc effectus suos edere perstant.

DEFINITIO.

" Corporis emaciatio et debilitas, cum tussi, febre hectica, et plerumque expectoratione purulenta.

" I. Phthisis (incipiens) sine expectoratione puris.

" II. Phthisis (confirmata) cum expectoratione puris."

Quia, in summum, Ordinem Nosologicum Doctoris Culleni, ulli alii adhuc vulgato præstare, mihi persuasum habeo, Phthiseos definitionem ab illo editam, quamvis minime vitiis carentem, hic tradidi.

Phthisin pro genere instituisse, eandemque sub classe Cachexiarum locâsse, quam pro sequela Hæmoptyseos habuisse, ut Doctori Culleno placuit, procul dubio satius foret. Dolorem in quadam thoracis parte, haud minus frequentem quam ullum aliud signum, definitio complecti oportet.

SYMPTOMATA.

Signa prima, quæ Phthisin aggredientem denotant, plerumque sunt et corporis et animi languor, exercitii fastidium, atque tussicula quæ, si ægro quodammodo sit perspecta, frigori sæpius tribuitur. His brevi accedunt calor post cibum auctus, algor subinde occurrens, pulsus celer, rubor vultus, cutis sicca, atque palmarum et plantarum calor, præsertim noctu accedens. Æger simul, respiratione difficillima, imprimis

inter scalas ascendendum, vel exercitationem vehementem sumendum, et sensu angustiæ vel gravitatis in quadam thoracis parte, afficitur.

Ad hæc signa cito accedunt pectoris laterisque dolores, vel sensus anxietatis generalis in thorace, nonnunquam fixus, alias, aliquo conatu facto, tantum adoriens; difficilis in latus decubitus; et æger paulatim macrior evadit. Hæc conditio haud brevi tempore sæpe perstat, dum afficitur ægrotans frigore facilius solito, quod tussim auget, et nonnihil catarrhi inducit. His tamen signis gravioribus levatis, reliqua ab ægro ejusque amicis ex frigore solo pendere existimantur, ideoque nullam terroris causam iis præbent. Rebus ita se habentibus, tussis molestior fit, eandemque comitatur expectoratio, quæ mane versus liberior et copiosior evadit. Materia ejecta magis viscida et opaca paulatim fit, colorem subviridem et aspectum purulentem induit, atque sæpe sanguine miscetur. In exemplis quibusdam, mistura hæcce adeo est copiosa ut Hæmoptysin constituat, aliquo sanguinis floridi et spumosi per tussim ejecto. Pulsus frequens et debilis, vultus floridus, et sudores copiosi, fe-

brem hecticam formatam satis superque demum docent.

Hæc febris plus minusve est remittens, sed nunquam penitus intermittens. Pulsus ad centum et quadraginta horæ minuto, raro, etiam inter remissionem, infra centum, micat. Hic plerumque est debilis, sed aliquando durus, exilis et chordæ similis, atque in talibus exemplis remissiones sæpissime sunt minus notabiles. In febre hectica bene confirmata, duæ sunt exacerbationes indies, quarum prima circiter meridiem adoritur, remissione leni circa quintam horam pomeridianam succedente, cui, tamen, vespertina cito accedit exacerbatio, quæ longe gravior est. Circa horam secundam matutinam fit remissio, quæ, mane progrediente, manifestior evadit, atque stadio morbi provecto in sudorem profusum desinit. Inter exacerbationes, levissimas aëris vices optime sentit æger, atque interdum de frigore, quamvis revera præter solitum calidus, conqueritur. Cito post signa supradicta, rubra fit urina, sedimentumque lateritium copiose demittit. Lingua raro tanta pellicula, ac in plerisque aliis affectibus febrilibus, obducitur ; margines ejus sæpissime sunt flori-

dæ, atque papillæ tumidæ et prominentes. Os plerumque humidum est, sitisque haud magna. Vultus sæpenumero pallescit; at in exacerbationibus rubor floridus ac circumscriptus gena in utraque apparet.

Morbo progrediente, fauces inflammationis speciem induunt, finemque versus aphthis teguntur. Vasis rubris spoliata, albida fit oculi adnata. Nunc vexat ægrum diarrhœa, nunc magis magisque ingravescunt sudores colliquativi; ingentemque debilitatem inducunt.

In ultimo morbi stadio prominentes fiunt malæ; cavi et languidi evadunt oculi; decidunt pili; lividi multumque curvati videntur ungues; et denique pedes atque malleoli tumoribus œdematosis afficiuntur.

Adsunt, sub finem morbi, plus minusve raucedinis, et haud raro ingens devorandi difficultas. Paucos dies ante mortem, æger ex debilitate, ut videtur, expectorare sæpe nequit, ac revera aliquando suffocatione tollitur. Aliis in exemplis nonnihil delirii adest; dotes autem animi sæpissime integræ, sensusque manent acuti, ægro periculum quo versatur probe sentiente.

Fœminæ, morbo jam provecto, amenorrhœa sæpius complectuntur, quam pro malo unico haud raro imperitus habeat medicus; res quoque est notissima, graviditatem valere identidem Phthiseos cursui obstare.

Talis reperietur morbi cursus solitus, signa tamen aliis in exemplis maxime sunt diversa. Interdum enim exitum ad lethalem pergit, dolore sine ullo in thorace etiam post inspirationem plenam sentito. "Vidi tamen mortiferam ubi pulmones inventi sunt penitus corrupti, et tamen per totam ægrotationem nullus fuerat pectoris dolor, neque ulla difficultas in utrumlibet latus cubandi *." Dyspnœa et dolor post suppurationem factam aliquando fiunt leviores, quod, spei dulcissimæ ab ægro sæpe fotæ, vel brevi ante mortem, originem præbeat. Marcor corporis, quis sæpe metum primum excitare solet, adeoque est generalis ut morbo nomen præbuerit, aliquando tamen deest, adepsque circumdans quædam viscera illorum qui phthisici obierunt, detectus fuit †. Quosdam Phthisi Pulmonali fuisse

* Heberden, Commentar. p. 317.

† Lieutaud, Hist. Anatom. Med. Obs. 466.

interemptos, et nunquam tussi laborâsse, Morgagni affirmat: "Est enim aliquando (inquit) in pulmonibus materia peccans nec pauca, et quæ expelli possit; sed, nulla est tussis, propter hebetem ac deficientem sensum in tunica intima bronchiorum *."

Tempus per quod morbus perstat, in diversis exemplis multum variat; his autem in insulis, post menses octo vel decem sæpissime finitur. In nonnullis tamen exemplis pro tempore intermittit, posteaque redit; atque per intermissionem affectus alius interdum pro eo sese ostendit.

CAUSÆ.

Angli, gentes inter omnes, Phthisi Pulmonali maxime sunt obnoxii; quorum pars circiter quarta, huic occumbere malo, rite existimatur. Hoc magna ex parte aëris temperiei vicissitudinibus, quibus perpetuo subjiciuntur Bri-

---

* Morgagni, Epist. Anatom. Med. 19. obs. 53.

tanni, tribuendum esse, haud ambigue apparet; quia in regionibus semper aut calidissimis aut frigidissimis, morbus de quo agitur, quoad formam ejus veram, parum est notus, atque post pneumoniam, rubeolam, hæmoptysin, multosque alios morbos, sæpius adoritur. Phthiseos forma frequentissima maximeque lethalis, hacce in regione, in illis Scrofula imbutis, observatur. Diathesis strumosa, plurimis aliquando etiam omnibus signorum sequentium, cognosci potest. Cute nimirum pulchra, tenui, lævi, per quam vasa sanguinem vehentia conspici possunt; genis floridis; pilis albidis mollibusque; oculis cœruleis cum pupillis dilatatis; naso et labro superiore tumidis; capite ampliore solito; thorace arcto; musculis flaccidis; atque digitis longis tenuibusque, quorum junctura ultima est larga. Crines, oculi, cutisque nigra, aliquando cum aliis scrofulæ signis conjunguntur: cutis autem semper tenuis pellucidaque; pupilla larga; atque fibra musculosa existit laxa. Plurimis in exemplis, morbus de quo agitur, ex constitutione peculiari, quæ efficit, ut substantiæ morbidæ, Tubercula vulgo dictæ, deponantur, originem ducere videtur. Hæc constitutio phthisica, in illis

vultu pulchro præditis, crine albo vel subrubro, collo longo, thorace arcto, humeris altis, ciliisque longis ac nigris, plerumque observatur; at cutis interdum cæsior est crinisque fere niger. Talem existere constitutionem ab strumosa diversam, probabile videtur, quia in America Septentrionali Phthisis haud raro conspicitur, dum Scrofula vix aut ne vix quidem grassatur. Inter causas hanc constitutionis peculiaritatem inducentes, nullæ sunt magis solitæ quam quæ vires exhauriunt, generisque nervosi vigorem minuunt. Alia diathesis phthisicæ causa haud insolita, reperitur defectus nutrimenti idonei vestitusque calidi. Secundum Narrationes Statisticas Equitis Sinclair*, hicce morbus, locis in sterilibus ubi incolæ sunt male nutriti et vestiti, maxime sævit. In multis Scotiæ partibus, in quibus Phthisis nunc frequenter occurrit, senes affirmant, eandem fuisse ignotam, priusquam Scoticus vestitus calidus, pro panno Anglico, lævi, tenui et frigido, atque laneus pro gossipio, fuit mutatus. Omnes artifices, qui, vitæ ratione,

* Vide Statistical Reports, vol. iv. p. 481.

aëra vitiatum inhalare coguntur, ut pistores, lapicidæ, laterumque structores, Phthisi Pulmonali maxime sunt obnoxii *. Proclivitas ad eandem, per arsenicum causa febrem intermittentem sanandi adhibitum, genita fuisse dicitur. Plerisque auctoribus affirmantibus, inter annos octodecim et triginta quinque nati, ad Phthisin Pulmonalem maximam habent propensionem; huic autem exceptiones existunt plurimæ. Phthisin esse contagiosam, plerisque in regionibus, a vulgo existimatur; in quam sententiam inierunt medici haud parvi nominis. In parte Europæ australi, adire Phthisicum periculosum esse habetur; atque in Hispania et Lusitania, vestes et supellectilia Phthisi interemptorum uruntur. Hac sententia impulsus Morgagni cadavera Phthisicorum secare nolebat: "Illa fugi (cadavera) de industria adolescens et fugio vel senex, tunc ut mihi, nunc ut studiosæ quæ mei circumstant juventuti prospiciam, cautius fortasse quam opus sit at tutius †." Contagium quo-

---

* Willan, On the Diseases of London, p. 301.

† Epist. Anatom. Med. 22,–3.

que inter Phthiseos causas Mortonus recenset *.

Nostra in Britannia, medicis de hac re una tantum placuit opinio, Phthisis nimirum, nunquam per contagium propagatur. Argumenta ad indolem contagiosam Phthiseos comprobandam allata, minime sunt certa. Totas familias singulatim huic morbo occumbere, nullus dubitat: sed labes hæreditaria, veritatis hujusce lugubris rationem satis pollentem, præbet. Nos autem interdum reperire maritum, labem ex uxore accepturum, vel uxorem ex marito, vel amicum propter attentionem nimiam, proclivitate hæreditaria nulla existente, aliquando allatum fuit: in talibus tamen exemplis origo morbi ad animum solicitum, vigilias perpetuas, frigus, incuriamque valetudinis, sine contagio agente, haud inepte referri potest.

Inter causas Phthiseos excitantes sæpissime recensentur Pneumonia ad suppurationem pergens, Catarrhus, Asthma, Rubeola, Scarlatina, atque, secundum alios, Hæmoptysis, quæ tamen, me judice, Phthiseos symptoma sæpius quam causa

---

* De Causis Phthiseos, lib. ii. cap. 1. p. 28.

reperietur. Exempla nonnulla MORTONUS memorat, in quibus lactatus nimis longus, Phthisin induxit *.

PORTAL quædam exempla protulit, in quibus erysipelas faciei, cum tussi, dyspnœa, dolore in thorace alternavit, et in Phthisin desiit. Hepatis morbi haud infrequenter cum Phthisi conjunguntur; hepate ad diaphragma adhærente, et suppuratione in eo incepta, pulmones afficiente, adeo ut materies expectorata aliquid bilis commixti contineat. Tria a Doctore CULLENO prodita sunt Phthiseos exempla, ex materie calculosa in pulmonibus formata, genitæ; quorum obiit unus, et alii ope diætæ lacteæ, irritatione evitata, evaserunt.

DIAGNOSIS.

PHTHISEOS stadium incipiens Catarrhum aliquando multum refert, ideoque accurate dignoscere hos inter morbos sæpe difficillimum est. Phthisis tamen confirmata, quam expectora-

* Vide MORTON, De Tabe Nutricum, cap. 6.

tiones purulentæ, debilitas, emaciatio summa, et signa febris hecticæ comitantur, a Catarrho pariter ac omni alio morbo, satis facile dignoscatur.

Tussis quæ Phthisi incipienti adest, fere semper sicca est, per intervalla revertens, remissionesque subit frequenter, nec in initio multum ægro adfert molestiæ. Dum in Catarrho, tussis est conquassans, aliquid fere semper excreatur, et plerumque adest coryza. In plerisque quoque exemplis, subito accedit cum pyrexiæ signis, quod non in Phthisi observatur. Si tussis, ut videbatur, catarrhalis longius justo duraverit, cum sputorum excreatione, horum investiganda est natura; utrum, scilicet, ex muco solum, an ex muco et pure commixtis, constant. Si mucosa tantum, Catarrhus, si purulenta reperiantur, Phthisis adest. Consilio inter mucum et pus distinguendi, experimenta diversa fuerunt instituta: exitus illorum a Doctore CAROLO DARWIN peractorum, hic proferam. Si sputa in acido sulphurico, et in lixivio caustico, pari quantitate solvantur; et si, aqua pura addita, aliquid in utroque cadat, pus est; si vero nihil cadit, mucus solum in sputis est. Pus, quam

mucus, in acido minus est solubile, et aliquando in alcali quod tunc, ne in aqua diffundatur, prohibet. Sublimatum corrosivum, mucum facile, sed nunquam pus, coagulat. Mucus ex solutione acidi, per aquam separatus, aut suspenditur aut supernatat, dum pus imum petit.

PROGNOSIS.

PHTHISEOS prognosis plerumque est infaustissima; sed, ad hanc instituendam, attentio, morbi progressui, et symptomatum gravitati, adhibita, multum adjuvabit. Primo in stadio, viribus ægri integris, respiratione libera, tussi leni, pulsusque frequentia et calore corporis non præter solitum auctis; sanationem, idoneis remediis adhibitis, expectare licet. Si autem corpus marcore fuerit affectum; si vires multum prostratæ; si sudatio profusa cum diarrhœa accesserint; eventus procul dubio erit lethalis. In Phthisi, quam aliquis morbus acutus, ut pneumonia, prægreditur, symptomata multo celerius quam in Phthisi strumosa pergunt; sed, spei majori sa-

nationis indulgere possumus. Ex tempestatibus, autumnus et ver Phthisicis infaustissima sunt; quod vicissitudinibus majoribus in his temporibus occurrentibus est tribuendum. Mania superveniens progressui morbi obstat; sed hoc levamen pro tempore sæpissime tantum perstat*: uterus gravidus æque ac Mania, Phthisi progredienti haud raro occurrit, sed post partum, symptomata graviora accedunt, quæ cito sequitur mors.

SECTIO CADAVERUM.

Thorace aperto, pulmones ad pleuram costalem, septum transversum, et pericardium, vel partim, vel ex toto, adhærentes, deteguntur. Substantia pulmonum secta, nodos vel indurationes plurimas circumscriptas, quæ Tubercula dicuntur, observamus. Hæc sunt firma, albida, per substantiam pulmonum sparsa, atque potius, ut videtur, depositiones in tela cellulosa mor-

---

* Vide Mead on Madness, p. 44.; Medical Works, vol. iii.

bidæ, quam glandulæ absorbentes auctæ. Primo sunt minimæ, sed paulatim usque ad molem pisi hortensis augescunt; tum suppuratio in centro plerumque incipit, et parvi abscessus formantur, qui, per unum vel plura foramina, in bronchia vicina aperiunt, in abscessus majores, qui Vomicæ sæpissime nuncupantur, subinde coituri. Pus quod continent, plerumque est spissius, exitu inflammationis solito, coagulum magis referens. Partes tuberculis vicinæ præter naturam densæ et solidæ fiunt, quod ex lympha coagulabili per inflammationem genita, fortasse pendet; hæc densatio, in partibus pulmonum ubi nulla existunt tubercula, interdum observatur. Glandulæ bronchiales multum ampliatæ, et in substantiam caseo similem conversæ, sæpe reperiuntur. Concretiones osseæ, in ramulis bronchiorum, ex mole aciculæ ad fabæ variantes, aliquando inveniuntur; analysi harum facta, præcipue ex phosphate calcis constare detectæ sunt.

Quum morbus ex Hæmoptysi vel Pneumonia originem habuit, abscessus simplices, sine ullis tuberculorum vestigiis, in lucem veniunt. Interdum, etsi raro, post signa Phthiseos confirma-

tæ solita, quæ in mortem desiit, pulmones vix aliquid structuræ vitiatæ exhibuisse, observatum fuit; tota materie ejecta, ut videtur, per secretionem morbidam membranæ bronchia obtegentis, præbita. In opusculo de Phthisi Pulmonali nuper edito, Doctor DUNCAN senior, de hac morbi forma, sub titulo Phthiseos Catarrhalis, disserit.

Illis in exemplis, quibus fuit raucedo insignis, densatio membranæ glottidem obducentis, cum signis inflammationis haud parvæ, plerumque adest; ulceratio quoque laryngis solitissima est, quam plus minusve ossificationis semper comitatur.

RATIO MEDENDI.

QUIA, in stadio Phthiseos tantum incipiente, remedia nostra, verisimile, valebunt, ad primam morbi accessionem, animum applicare debemus, et ne in conditionem desperatam tendat, prohibere conandum est.

Regimen prophylacticum, constitutione vel

temperamento ægri, prorsus nitendum est. Nati strumosorum vestes calidas semper induere debent; victus oportet esse nutriens et concoctu facilis, non autem stimulans; exercitatio regularis viribusque accommodata, nunquam ad fatigationem continuata; et ad dejectiones alvinas attentio summa tribuenda est, ut aliquid mutationis ex statu sano, statim detegi et corrigi possit. Re ægri sinente, ruris saluber aër, atmosphæræ impuræ urbis anteponendus est; et si locum seligendi sit facultas, littus per menses æstivos præstat. Balneum sæpe usurpandum est, et tepidum frigido antecedit. Ubi Hæmoptysis in robustis, quique igitur Phthisi obnoxii habeantur, accedit, regimen aliud instituendum est. Diæta nempe ex lacte et vegetabilibus constare debet, et omnia, quæ sanguinis impetum adaugeant, sedulo evitanda.

Quia exempla, pro rata parte, sunt pauca, in quibus regimen prophylacticum regendi, facultas est medico, quædam ex remediis præcipuis, post morbum revera inceptum, usurpandis, jam recensebo.

Emetica in Phthisi Pulmonali multum laudantur, præcipue a Doctore Reid, qui, præ om-

nibus aliis, his fidit remediis; monetque ut, tantum pulveris Ipecacuanhæ quantum vomitum semel vel bis excitaverit, dose mane et vespere repetita, pro viribus ægri vehementiaque symptomatum, exhibeamus *. Emeticis hoc modo usurpatis, non solum ventriculum deplendo, a pituita viscida, materieque biliosa cautum esse, sibi persuasum habet; sed pulmonibus inter vomendum compressis, mucum et materiem purulentam in pulmonibus effundi, tussim sic levari, et doloribus ægri multum succurri. Expectoratione parca et difficili, cum sensu ponderis in thorace, emetica lenia multo cum commodo exhibeantur; sed ob proclivitatem ad tonum ventriculi lædendum, medici perpauci hæc præcipient, quoties Doctor Reid monet. In illis Phthiseos exemplis Hæmoptysi prægressis vel comitatis, vel cum morbus mulieres uterum gerentes invasit, actio vomendi semper nocet. Præter effectus emeticis a Doctore Reid tributos, haud parum virium suarum ex sudatione magna quam excitant, verisimile, pendet.

---

* Reid's Essay on Phthisis Pulmonalis, p. 174.

Nullum remedium in Phthisi sananda, tantum laudis ac Digitalis Purpurea peperit. In exemplis Phthiseos, a Doctoribus Drake et Fowler primum exhibita fuit, quorum utrique, ut sumatur, strenue contendunt. Priore testante, "Several patients, in its confirmed state, have been cured by this remedy; almost all have been relieved; life has been protracted by it; and when death has taken place, while the system was under its influence, it has been free from pain or struggle *." Exhibuit guttas quindecim tincturæ saturatæ bis indies, dose ad 40 vel 50 paulatim aucta. Cum actio plena facta fuerat, pulsus ad 50 vel etiam 40 minuto horæ descendebat, et materia evidenter sanior erat. Ægrotantium uni pulsus per hebdomadam ampliusque, post medicamentum omissum, tardus perstabat, alterique ad 112 ascendebat; sed in utroque faustus erat eventus. De purulenta materiæ expectoratæ indole, in utroque exemplo probe constabat. Digitalem agere, absorptionem puris promovendo, priusquam satis temporis præteriit ad hoc fœtidum reddendum, pari-

* Med. and Physic. Journal, vol. iii. p. 418.

ter ac vires secretionis minuendo, sibi persuasum habet *.

Doctor FOWLER quoque, virtutes hujusce medicamenti summis laudibus effert. Præparatio quam exhibuit, decoctum fuit, cujus unciam dimidiam bis terve, et in nonnullis exemplis, quater per viginti quatuor horas præcepit.

Doctore MOSSMAN testante, si Phthisis in stadia quatuor dividatur, digitalem tria priora procul dubio sanaturam, et signa molesta posterioris leviora reddituram †.

Sed MACGENNIS præ aliis vires digitalis laudat. Hanc septuaginta duobus Phthisicis qui, ex nautis classis Angliæ, ab eo visi fuerunt, exhibuit. Horum viginti quatuor Phthiseos incipientis fuerunt exempla, atque ex ægris hac laborantibus, quindecim sanati novemque levati fuerunt: exempla quadraginta fuerunt purulenta, et ex hac affectis, viginti quinque salutem recuperaverunt; tredecim levamen experti fuerunt; uni medicamentum, ut videretur, non profuit,

---

* Dr DRAKE, BEDDOES' Contrib. p. 473.

† Med. and Physic. Journal, vol. iv. p. 309.

novemque tantum hoc utentes perierunt, nempe pars omnium octava, qui morbo correpti erant. Doses copiosas, aliquando centum guttas ter indies exhibuit; etsi alii non plura quam guttas quadraginta tolerare potuerunt: ad quadraginta ictus semel descendit pulsus; et hoc non affecto, nullum fuit solatii. Levamen, non absorptioni puris, sed actioni morbidæ deletæ, esse tribuendum, pro certo habet. Ut ægri medicamento utentes sedulo a frigore caveant, illo judice, prorsus opus est *.

Laudes huic medicamini fere immodicæ a Doctore Beddoes tributæ, in desuetudinem idem potius tulerunt, ejusque famam multum attriverunt. Verba ejus sunt: "I daily see many patients in pulmonary consumption advancing towards recovery with so firm a pace, that I hope consumption will henceforward as regularly be cured by the foxglove, as ague by the Peruvian bark. Could we obtain a single auxiliary for foxglove, such as we have in many instances for the bark, I should expect that not one case in

* Med and Physic. Journal, 1801, p. 201.

five would terminate as ninety-nine in an hundred have hitherto terminated *."

Finem faustum, me judice, morbo ineunte tantum licet expectare; eodem enim provecto, structura organica mutationem adeo insignem subit, ut sanationem ex actione ullius medicamenti vix aut ne vix quidem recipiat. Ad effectus digitalis plenos in systema obtinendum, dosis primum porrecta paulatim augenda est; hoc autem augmentum caute est instituendum, ob rem anomalam quod actio remedii diu non percipitur; sed si dosis nimia fuerit, vel subito et intervallis nimis brevibus repetita, effectus sunt subiti, et pergere perstant. Primo decem tincturæ guttæ ter indies exhibeantur, et hæc dosis altera gutta singulis indies addita, augenda est. Quandocunque autem pulsus frequentia vel vis imminuitur, dosis non amplius augenda est, vel si hæc imminutio insignis vel celer sit, medicamen est omittendum, et non, nisi post intervallum idoneum, caute repetendum.

Cum Digitalis per se pulsus frequentiam non minuit, ut simul cum ea, Opium, Scillam Mari-

* Beddoes on Pulmonary Consumption.

timam, Cicutam, vel Hyosciamum exhibeamus, Doctor BEDDOES præcipit; et se vidisse Phthisicos quosdam, Digitale sola parum proficiente, hoc modo sanatos memorat.

Inter Digitalem usurpandum, nausea, visus hebetudo, vertigo et ad animi deliquium proclivitas, aliquando vel comitantur vel sequuntur. His signis, stimulantia, vinum calidum, aqua cum aromaticis, vel opii doses parvæ, et emplastrum vesicatorium ad regionem ventriculi admotum, optime occurrunt. In uno exemplo quo caput et ventriculus dose parva cito turbata erant, pauxillum succi lemonis statim profuisse, nauseam et vertiginem submovendo, et ut plus tincturæ facile et tuto æger sumeret efficiendo, Doctor DRAKE perhibet.

De modo quo Digitalis in Phthisi agit, sententiæ diversæ prolatæ fuerunt; aliis ei vim minuendi secretionem, et actionem absorbentium excitandi tribuentibus; aliis iterum, eandem tantum prodesse quatenus ei sit vis minuendi actionem cordis et arteriarum, opinantibus. Scriptor recens nihilominus, operationem ejus salutiferam semper esse tonicam, nunquam sedantem, et pulsus

imminutionem, nisi cum ex irritatione sublata pendeat, semper esse malam, probare conatur *.

Multi medici præclari sanguinis missionem in Phthisi valde laudant, et hanc sæpe repeti suadent. Morbo ineunte, cum tussis est sicca, dura, et frequens, cum dolore, molestia, et spasmis in partibus thoracis diversis; pulsus durus, celer, et plenus; respiratio brevis, difficilis, dolorifica, sanguis procul dubio tuto et commode mitti, et pro vehementia symptomatum iterum detrahi potest. Morbo autem provecto, cum febris hectica cum remissionibus et sudoribus matutinis confirmatur, missiones sanguinis parvæ sæpe repetitæ, ægri debilitatem sine causa augent, finemque morbi lethalem magnopere festinant. Phthisi occurrente in illis temperamento evidenter strumoso præditis, sanguis minime est detrahendus. Cum multum doloris fixi in aliqua thoracis parte adest, simul cum insigni languore, vel ullis aliis signis quæ missionem generalem minus postulant, detractio localis, vel ope hirudinum, vel cucurbitulæ cum ferro, pro illa sufficiat.

---

* Sanders on Pulmonary Consumption, &c. p. 126.

Cum sanguinis missio utilis habeatur, effectus ejus per cathartica salina usurpata augeri posse, quibusdam persuasum est. Si in decursu morbi alvus sit astricta, hæc ope laxantium lenium solvenda est; sed dejectiones nimis frequentes, vix aliquid nisi quod vires atterunt ægri, efficiunt.

Ubi tantum sanguinis quantum vires ægri sinant, fuerit detractum, et cum dolor thoracis vel laterum tussi adest auctus, epispastica parti admota, et quamprimum cutis sanata sit repetita, multum proderunt. Fonticuli vel setacea, quæ eodem modo ac epispastica operantur, parti affectæ quam proxime applicata, levamen insigne præbere sæpe reperta sunt.

Migratio ægrorum ex cœlis frigidis ad calidos diu perstitit, et commodum haud parvum sæpe præbuit. Hac tamen medendi ratione, morbo provecto plerumque tantum instituta, parum boni sæpe ex ea oriri, nil mirum est. Cum æger, ineunte morbo, et ante signa febris hecticæ sese ostenderunt, peregre profectus est, eventus faustus tantum expectari debet. Tunc cœlum mite tuberculorum inflammationi moræ sit, perspirationem sustinendo et fluidorum im-

petum cutem versus promovendo; sed in stadio Phthiseos provecto, calor atmosphæræ auctus, ut morbus citius lethaliter cessat, tantum efficiet. Cœlum calidum quoque, illis constitutione strumosa præditis tantum prodesse, ægris non tali habitu gaudentibus parum ab illo affectis, patet. Ad insulam Madeiram nuper plerumque confugitum est; sed Doctor GORDON, qui aliquamdiu ibi morabatur, ne Phthisici eo migrent, dissuadet*; et Doctor GOURLAY, Phthisin inter mala quibus incolæ maxime sunt obnoxii recenset†. Diversoria alienis propria quoque sunt maxime incommoda; æger enim domicilium idoneum, nisi in domum mercatoris ibi degentis sit aditus, nonnunquam haud obtinere potest. Phthisi in Ægypto ignota, ut ægri ibi commorarentur, præciperem; pestis subinde erumpens quo minus hoc fieret minime prohibet, nam attentione idonea adhibita nihil periculi ab hac metuendum.

---

* REID's Essay on Phthisis Pulmonalis, p. 264.

† Observations on the Natural History, Climate, and Diseases of Madeira.

Si aliquam ob causam æger in regionem natura calidam non transvehi potest, multum commodi ex temperie arte formata oriri possit. Hoc consilio, ægrum in conclavi ad gradum thermometri Fahrenheitiani sexagesimum calefacto, et foribus atque fenestris duplicibus instructo, semper habitare oportet. Ad hoc efficiendum, hypocaustum diplomaticum ANDERSONI omnibus aliis anteponendum est, quippe quod et calori et ventilationi inserviat.

Quantum valeat exercitatio regularis, non solum ad salutem servandam, verum etiam ad vires fractas ægri recuperandas, non possumus nimium prædicare; de equitatione autem, navigatione, atque jactatione pensili, solis disserere sufficiat.

SYDENHAM primam tanti pependit, ut, eo judice, neque Mercurius in Lue Venerea neque Cortex Peruvianus in Intermittentibus efficaciores extent, quam in Phthisi curanda Equitatio; modo æger curet, ut linteamina lecti probe fuerint arefacta, atque etiam ut satis longa itinera emetiatur *. In stadio Phthiseos incipi-

* SYDENHAM, Epist. ad Doctorem COLE, an. 1705, ed. 3.

ente, priusquam aliquid inflammationis insigne tubercula corripit, equitatio probe et diu exercita morbum morari multum confert. Sed exacerbationibus hecticis bene notatis, et ægro aliquo modo exhausto, non potest fieri, quin agitatio ex equitando dolentissima sit, et symptomata graviora reddat. Cum hoc exercitium idoneum habetur, cœlo sereno, mane sumendum est; nam equitatio sub sole fervente, minime ægro proderit, e contra nocebit. Attentione ad pulsum post equitationem adhibita, num proderit, necne, et quamdiu continuanda, penes erit nos judicare.

Plerique auctores qui de Phthisi scripserunt, utilitatem navigandi insignem ad hunc morbum sanandum commemorant; sed præ aliis Doctor Gilchrist, qui exempla quædam morbi, ut videtur, vera enarravit, in quibus navigatio sanationem perfecit. Commoda ex navigando Phthisicis præbita, aliis rebus ab aliis auctoribus tributa fuerunt: 1mo, Nauseæ et vomitui, et actioni absorbentium auctæ: 2do, Ad cutem impetui fluidorum ingenti et regulari: 3tio, Aëri marino utpote puriori; et denique, ægris perpetuo inhalantibus particulas balsamicas et resi-

nosas quicum aër ex nave et ornatu ejus onustus est. Quia inter navigandum alvus ad obstipationem proclivis, huic occurrere debemus catharticis lenioribus sæpe exhibitis.

Exercitatione sub divo ex conditione cœli necessario pendente, prò aliis motus generibus, jactationem pensilem, quæ etiam parum fatigat, sufficere aliquibus placuit. Illam Doctor CARMICHAEL SMITH primum summis cum laudibus introduxit, et exempla quædam ab ea sanata memoravit. Aliis tamen medicis hæc non tam feliciter cessit, et Doctoris DUNCANI experientia, parum ei fidendum, bene docet. Verba ejus sunt: "And indeed we have not met with any one case in which any material benefit arose from its employment. With some patients, the sickness it occasioned was so distressing, that they could not be prevailed upon to give it a proper trial; while, with others, it produced no obvious effect whatever, and particularly no change in the state of the pulse *."

Commodo percepto, quod Phthisico diu in domo moranti in qua ollæ fuerunt pice ardente

* Medical Commentaries.

plenæ accidit, Doctor CRICHTON fumigationis per picem effectus, et cum eventu faustissimo, experiri inductus est. In exemplis ipsis tamen de quibus locutus est, levamen expertum pro tempore solum, recidiva plerumque facta, perstitit. Dubium quoque subsit, annon hæc revera Phthiseos fuerunt exempla, quia in casibus morbi quibusdam in hac urbe observatis, in quibus fumigatio per picem admota fuit, nihil solatii, et in aliis detrimentum potius, accessit. Hujus tamen experimenta plura institui debent. Tussi et hectica plurimum subactis, remedium non amplius admovendum esse Doctor CRICHTON monet, quippe quod tussim siccam infert, et quo minus aëra communem atmosphæricum inspiret, ægro tunc utilem, impedit. Pix in funibus navium instruendis adhibita longe præstat, modusque simplicissimus et efficacissimus est conclave fumigandi, imponendo quod picem continet vas super lampada, cura adhibita ut tarde bulliat atque non ardeat. Ut vas indies optime emungatur, et fumigatio quaque tertia hora repetatur, omnino necessarium est.

In nullo morbo præ Phthisi Pulmonali, tantum ex regimine diætæ pendet. Forma morbi

ineunte, quæ constitutionibus olim robustis accidit, quæque Pneumoniam vel Hæmoptysin pro causa agnoscit, victus ex lacte et vegetabilibus confectus ægro concedendus, atque diæta ex carne prorsus prohibenda. Stadio autem morbi provecto, cum materia purulenta ejicitur, febrisque hectica plene formatur, pauxillum carnis tenuissimæ et facillimæ concoctu concedatur. In Phthisi tamen strumosa, diæta tenuis plerumque nocet, et victus nutriens, qualis ventriculo insideat, ægro tunc porrigendus, modo nec pulsus celerior fiat, nec cutis calor post talem cibum adaugeatur. Testaceorum genera diversa, ut ostrea, musculi, et astaci, subinde pro varietate sumantur.

Lac per se remedium habetur in Phthisi præclarum. Lac tamen bovinum, ab illis quibus est ventriculus debilis, interdum difficile concoquitur, atque igitur lac asininum pro eo sufficiendum, vel multo levius, cremore sublato, reddi potest bovinum; quod copia unius vel duorum octariorum sumendum est. Lac serosum quippe quod, propter qualitates acescentes, refrigerans et reficiens sit, ad libitum hauriri potest. Exempla quibus lac muliebre Phthisi laborantes sanavit,

tradita fuerunt *; hoc autem copia idonea raro adipisci potest, atque fœminæ ipsæ, ægro sanato, Phthisi crudeli occubuisse narrantur.

---

* Robinson on Consumption, part ii. p. 148. an. 1727.

FINIS.